



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1861**

CLVIII. Papst Urban beauftragt den Probst zu Gramzow, das zu Prenzlau gegründete Hospital St. Elisabeth zu bestätigen, am 11. Februar 1379.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55721)

CLVIII. Paps Urban beauftragt den Propst zu Gramzow, das zu Prenzlau gegründete Hospital  
St. Elisabeth zu bestätigen, am 11. Februar 1379.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, Dilecto filio Preposito Monasterii in Gramzow per prepositum soliti gubernari, Caminensis Dioeceseos salutem et apostolicam benedictionem. Humilibus supplicum votis et eis presertim, per que diuinus cultus augetur, libenter annuimus eaque quantum cum Deo possumus favoribus prosequimur oportunis. Sane petitio pro parte dilectorum, filiorum, Proconsulum et Consulium oppidi novi oppidi Primislaw, Caminensis Dioeceseos, nobis nuper exhibita continebat, quod olim ipsi in dicto oppido propter maximam pauperum inopiam et magnum frigorem tunc vigentia, Ad honorem Dei et Beate Marie Virginis et sub vocabulo sancte Helyzabeth quoddam hospitale pauperum ad hospitandum et refocillandum tum infirmos tum alios quoscunque pauperes et peregrinos ad ipsum opidum confluentes infra limites parochialis ecclesie dicti opidi cum uno altari absque consensu ordinarii loci fundarunt et construxerunt et predictum altare de sufficientibus redditibus pro uno presbytero, qui huiusmodi pauperibus et peregrinis missam in dicto hospitali celebraret et sacramenta ecclesiastica eisdem pauperibus et peregrinis ad ipsum hospitale confluentibus ministraret, dotarunt, quodque in dicto hospitali multi pauperes peregrini, qui de circumvicinis partibus ad vilitandum limina Apostolorum Petri et Pauli de urbe et ad ecclesiam beate marie de aquisgrani Leodinenis Dioeceseos a longo tempore citra fuerunt recepti et continuo recipiuntur et eis de vite necessariis ibidem providetur. Quare pro parte ipsorum proconsulum et consulum nobis fuit humiliter supplicatum, ut huiusmodi fundationem, extructionem et dotationem autoritate Apostolice confirmare et ipsis, quod ad dictum Altare hac primaria vice et quotiens vacare contigerit aliquem idoneum presbyterum loci ordinario presentare possint, de benignitate Apostolica concedere dignaremur. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes discretioni tue, de qua gerimus in Domino fiduciam specialem, per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si venerabilis fratris nostri Episcopi Caminensis ad id accedat assensus, fundationem, constructionem ac dotationem predictas autoritate apostolica confirmes dictisque Proconsulibus et Consulibus prefati opidi, qui nunc sunt et illis, qui erunt pro tempore, autoritate predicta concedas, quod ius presentandi ordinario loci idoneum presbyterum ad predictum altare hac primaria vice et subsequenter quotiens illud vacare contigerit, ad ipsos Proconsules et Consules, qui sunt et erunt pro tempore perpetuo pertinere noscatur. Jure tamen dicte ecclesie Parochialis et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo. Datum Rome apud sanctam mariam trans tyberim, III<sup>o</sup> Iduum Februarii, Pontificatus nostri Anno primo.

Aus einem Copialbuche.